

~~Hist. Brit. h. 13.~~

GAZOPHYLACIUM BRITANNICUM.

st. Britann.
150, 15

~~Autograph~~

H.H. Brit 8/3
16.-

МИМОДАЛУЧТОВАО
МІСІСІНІАСІЯ

To His GRACE
J A M E S.
DUKE OF
ORMOND.

My L O R D ;

SINCE the English exceed the most part of Nations in Power and Courage, it wou'd be an Argument, of the greatest indiscretion imaginable to provoke them in a Collective Body. And since there are so many and valuable Treasures every where to be met with in this Kingdom, I wou'd therefore be inexcusable not to attempt a Description of them in part. And because I'm incapable to Treat of all those Things which are most worthy of Observation : I have therefore industriously by Silence, signified that respect

The Epistle Dedicatory.

respect I owe to Your Lordship, whose Character is not to be attempted by any that wants the Judgment and Eloquence of Pliny.

This indeed, is without my Province ; however, tho' I'm unable to pay Cæsar his due, nevertheless 'twill be no inconsiderable satisfaction to my self to have gratified my Inclinations to do it, since I had no other Thoughts in this Undertaking, than to acquaint the World with the many and great Obligations I'm under, to acknowledge my self

My LORD,

Your Lordships

most humble and

most obedient Servant,

Mauritius Damianus

Marschall de Bieberstein.

Eques Saxo. Misnicus.

Benevolo

Benevolo Lectori

C. B. Nobilis Anglus.

Salutem dicit.

BEnè et præclarè de Posteritate mereri mihi videntur ij, qui memoriam rerum gestarum & Illustrium Virorum sua ætate florentium scriptis suis futuris seculis commendare atque immortalitati mandare nituntur. Hoc enim modo imaginem factorum et ingeniiorum sui temporis libris suis tanquam in tabella aliqua coloribus suis ornata penè oculis subjiciunt, ut omni rerum usu et experientia destituti inde exemplum sibi sumere, et tanquam in speculum intueriqueant : Hæc meta, hoc propositum fuit

fuit Nobilissimo et Generosissimo Gazo-
phylacii Britannici Autori, qui incredibili
sapientiae amore & perfectae probitatis
studio inflammatus splendidam hanc su-
isque numeris constantem orationem con-
scripsit ; Publice quoque pro cathedra
habita fuisset, si licuisset per eum, Quem
penes arbitrium est & jus & norma lo-
quendi, nihilominus publicis exscripta est
typis. Tu Lector Benevole agnosce me-
rita Generosissimi Authoris, qui non tan-
tum propriis enitet virtutibus, sed et ni-
torem lumenque suum tam docta, magnifi-
ca, elegante atque eruditis auribus digna
oratione in alios refundit, quod non potest
sine summa excelsi animi magnitudine
contingere.

Nisi

http://digital.slub-dresden.de/id41484291X/6

Nisi de humanitate vestra certus essem, Auditores cujusvis ordinis honoratissimi, fluctuante omnino comparerem animo. Quem enim summa eruditionis vestræ fama non latet, sicuti ea neminem fugere potest, is præsentiam vestram non aliter sustinebit, quam solares radios oculus. At nunc omnis evanescit metus, nunc intrepidus tam inclitæ Academiæ Cathedram ascendendo, favore vestro & singulari dicendi honore extero mihi relicto. Postquam enim ipsa argumenti majestas & insignis copia de proposita materia differendi, me ad perorandum invitarunt, peragratis Germaniæ, Bataviæ et Galliæ amœnissimis oris in Britanniam translatus, dubius totus eram, quo titulo hæc terra insigniri debeat, an Palæstinæ? an terrestris Paradisi nomine? & cum satis edoctus, nec uni nec alteri harum quicquam defuisse, & unum et alterum nomen felicissimæ vestræ regioni tribuendum esse recte judicavi. Pugnant vero inter se tot tantæque naturæ in hoc Regno perfectiones, ut dubitem quemadmodum eas exponam, ubi initium capiam ubi medium, ubi finem inveniam, plane ignorem. Nam si voluero sigillatim eas persequi, quæque de ijs dici possint, omnia proferre; vereor, ne non tantum imaginem hujus Britanniæ, sed totius

B

tius

tius Universi videar exprimere. At si tantummodo summas rerum conabor attingere, vereor, ne ijs, qui sunt in hoc Regno rudes et Hospites, minus lucide appareat, quanta Bonorum varietas in uno Regno contineatur. Sed difficultatis utriusque nexu me, quantum licet expediam; perficiamque, ut neque multitudo rerum brevita-
 ti, neque brevitas Ignorantiae exterorum officiat. Tanta itaque est fortunatae vestræ insulæ amœni-
 tas, tantæ divitiae, ut Europæ Gazophylacium
 jure merito dici possit. Si enim quis omnia na-
 turæ bona in complexu seu sinu quodam penitus
 adspicere, adspecta mirari vehit, quæ alias in
 toto terrarum orbe non nisi dispersa videre licet,
 in hoc regno inveniet; fixa hic opulentiae sedes
 est & habitaculum, nisi Dei brachio, non destru-
 endum; si fortassis pleniores Britanniae notitiam
 aliqui ex libris & scriptis hausisse, si præterita
 Britannia itinera sua ad finem perduxisse per-
 suasi sunt, a regia longe aberrant via. Quinam
 enim eruditorum calamus unquam Gazophyla-
 cium hoc Europæ, Britanniam dico, satis abunde-
 que depinxit, aut (sit venia dictis) aptis coloribus
 depingere potuit? quis mundi hujus theatri
 gnarus satis nisi abundantiae centrum tetigerit?
 Illi autem qui beatas has terras cernunt, post
 longa tædia viarum, in aliis regnis emensarum
 ultro fatentur nil par aut simile Angliæ esse. E-
 quidem me satisfecisse credo, si Regni Britanniæ
 &

& utriusque in eo sexus perpetuus futurus admirator. Verum enim vero mirari haud sufficit, pulchritudo ista, qua natura Britannicam gentem dignari voluit, ad stuporem quemlibet ducit, ab ista exordior cum naturæ illa non solum sit donum & thesaurus haud exiguus, sed & quia homo rerum creatarum pars nobilior, cui merito omnia sunt postponenda ; Ast cum forma viros neglecta deceat, sic & virorum pulchritudinem, quæ tanti momenti & valoris non est, sicut in fœminis, facile prætermitto, licet & ea aliis populis palmam non dubiam modo reddat, sed & longe præcipiat, spectanda potius venit fœminarum Anglicarum formositas : Testatur omnium exterarum fœminarum invidia, sine qua formas istas plusquam humanas nunquam aspiciunt ; Certant vultum & corporum suavitates, & ignoro sane quænam harum primum locum occupare debeat, cum vero pulchritudinis vis et autoritas tanta sit, ut Reges & Imperatores homagia ipsi præstare sint obstricti ; haud sine ratione statuendum, veram majoremque in ea fœminarum ad minimum consistere felicitatem quæ præ omnibus gentibus fœminis Britannicis propria solum videtur. Interim tamen quid nuda externa pulchritudo quæ dotibus internæ pulchritudinis destituitur ? nisi dulcis umbra sine luce, flos sine odore, sine anima corpus, hæ ipsius veræ sunt imagines ; quia tamen signa extera

terna harmoniam et similitudinem internorum
ut plurimum notant, sic et fœminarum Britan-
nicarum non minus virtutum quam vultuum
undiue sparguntur radii. O grata pulchritudi-
nis, virtutis & divitarum conjunctio, est illud
trifolium quod æternum virat, marcescit pul-
chritudo, restant divitiae, pereunt divitiae, unica
virtus omnia in se complectitur. Ubi ad rerum
inanimatarum pulchritudines transcendimus, et
terræ thesaurus nobis statim occurrit hæc, non
folia producit & trifolia, sed totas arbores, qua-
rum rami ob fructuum flectuntur pondera, ter-
ra quæ in omni genere præstantibus herbis est
fructifera, herbae & flores quorum alii recreant
visum, alii odoratum, alii qui ad terram inco-
lentium utilitatem et animalium pastum faciunt,
ut sic nec utilitati, nec voluptati aliquid desit.
Spicæ striatæ et onustæ sunt frumento, tantus
imo telluris hujus est ornatus, ut horti et prata
vestes induisse elegantissimas videantur; indies per
aque ductus irrigata et pinguiora redditæ; dece-
rem fere fertilem adeo omnem Britanniæ fundum,
ut nec conserendo nec fodiendo omnia producat,
quin vel ipsæ steriles tertæ partes apud exteris
fœcundæ habentur, nonne hi sunt thesauri omni
majores pretio, nonne hæc omnia quasi jam ipsa
auri massa spectanda, quæ ab orientalibus aliisque
colligitur gentibus. Et quid de maris thesauro
dicendum, cuius potestati Angli potius quam
Batavi

20100

s. 8

Batavi dominantur, qui hanc gloriam licet frustra sibi tribuunt, quod æternum Gentis vestræ Ornamentum, Joannes Seldenus adversus Hugonem Grotium dilucide probavit. Est mare thesaurus, quo feliciter uti et in Bello et Pace Britannici optime didicere, cantabunt ætatem maris littora Britannorum contra infensissimum hostem triumphos, et quanta est vis classis Britannicæ, tanta est opulentia, quæ Mercatorum navibus ex aliis regionibus affertur, ut sic Gazophylacium illud Britannicum semper abundè repleatur, semperque ad invidiam usque floreat; Commercia sunt, & mercatura, viæ illæ securæ, quibus mediantibus, et divites vere juvantur, & pauores. *Qui* is verò in illis negotiis Britannico Populo similis unquam extitit? Pari solertes Belgæ cum Anglis ambulare passu cupiunt, sed in vanum. Verum equidem est Belgas vigilanti satis et laborioso esse animo, prudentia tamen Britannorum, et variis multis que artibus instrueta Ingenia ipsis sunt denegata, Undique ergo in Britannia Thesauri, undique Argentum, aurum undique, quod citra controversiam mille Exercitibus est potius. Est munimentum inexpugnabile, Telum quod Corda ita petit, ut resistere nequeant; Clypeus Ajacis & Clava Herculis, quæ ad omnia facilem parat aditum. Haic accedit Britannicæ Gentis naturalis fortitudo, (quæ et Thesauri meretur nomen,) ferrea hæc in Britannis.

Britannis et ipsis materno quasi cum lacte indita. Libertasque vestra benedicta Britannica Gens me ad se vocat; res ista inæstimabilis, Thesaurus ille est, et ipso Auro longè Præstantior; Thesaurus, qui ab Irrationalibus pariter ac Rationalibus anxie quæritur. Et pretium ipsius multum augetur ubi Populum videmus gemiseentem sub Principis Jugo; Populum inquam, licet cum Libertate natum, videtur quidem illum esse extra Captivitatem, at verè in Captivitate angustum spiritum vix trahit. Liberè vivere, est longè, et fortunate vivere, Mors autem præstat vita coacta. Sed ad metam propero, aut potius ad Thesaurum, cuius ope, alii omnes conservari debent Thesauri: Ille est, Auditores Honoratissimi, de quo jam dixi, quod liber sit à Latronibus, quem nec Blattæ, nec rubigo corrodunt, est aurea illa sapientia, quâ sine non urbes, non Regiones, sed universus Orbis pateretur exitium, Optimè hujus rei gnarus Regum sapientissimus non divitias a Deo petens, sed sapientiam, quæ tunc Regionem ipsius, Thesauris undique repletam, eo feliciorem reddebat, dum prudenter omnia administrare nōrat. Tristis tibi foret facies Florens Britannica Gens, nisi illo sapientiæ gauderes Gazophylacio, quod divitias tuas auget, auctas conservat, conservatas in Reipublicæ utilitatem vertit: Est Regio dives cui Eruditi desunt; Hortus absque sepimento;

sepimento ; Quicquid in illâ est, spolia sunt Inimicorum, quæ ampla ab ipsis referuntur. Est Regio absque Eruditis, Latrocinium, in quo alterius vitæ struit insidias. Nulla foret Religio, nulla Justitia, extintos videremus bonos mores, Artes, & omnem disciplinam: Ut sic major adversa fortuna nunquam regioni accrescere possit quam ubi Eruditio & sapientia sub cinere degunt, Et quis inficias iret mitiorem etiam Populum Catonibus non opus habere ? Est sapientia Magistra, cuius Imperio etiam Magnates se subjicere tenentur, est regula, à qua nunquam recedere licet, est Centrum, ad quod omnes humanæ Actiones tendunt, aut tendere debent ; cum illa sit Apex & rerum fastigium. Absque eruditis in Republicâ nil deprimitur, nil attollitur, nil aboletur. Cum tamen non statim nascamur sapientes, nec sapientia nobis detur per infusionem, ad Musarum sedem confugendum est ; Scholas, Academias. Hæ sunt cujuslibet Reipublicæ & Regni Gazophylacia, in his Thesaurus vere Regius reconditus, Hæ sunt receptacula, quibus salus Reipublicæ nititur, Ecclesia in iis quærit Pastores, Forum, seu Parliamentum, Juris-consultos, Aula Consiliarios. Nam decipitur, qui in Aulæ strepitu comparet, priusquam in Academiæ recessu et Umbrâ profecit. Et si Gentis cujuslibet famam spectamus, per viros, in hisce Gazophylaciis latentes, Posteritati

steritati ea transmittenda. Sed de Te mihi jam sunt verba facienda, florentissima Academia Oxoniensis; ad quam omnes veram culturi Miner-
vam, tanquam ad Apollinis Delubrum, pleno gradu contendunt. Tua enim moenia homines Natura mitissimos & quietissimos alunt, qui summa animi cum tranquillitate in literarum studiis ævum agitant, quroum studiorum fructus non avarè intra vos continetis, sed cum aliis etiam largè liberaliterque communicatis, neque solum Doctrinæ vestræ fontes in eos, qui præsen-
tes sunt, atque a vestro ore pendent, sed Posteri-
tati etiam consulentes, in eos, qui futuri sunt effunditis, nam libros utiles & doctos in pub-
licam lucem emittitis. Nunc, quis Britanni-
cam felicitatem, ejusdemque felicitatis perfectio-
nem, Auditores Honoratissimi depingat? Regio quæ sublimem sapientiæ cum divitiis sedem ha-
bet conjunctam: Absit, ut Academiam vestram laudibus extollere audeam, cum et vires tantum ferre onus recusent, & vitæ humanæ brevitas illud nunquam concedat. Nam et si centum an-
norum senex, per totam vitam in hoc Opere volveretur, dubito quin intentatum attingere scopum spes ipsi sit relicta; Hic potius admira-
torem quoque me exhibebo, quamdiu me vi-
talis alet aura, si et mirari satis aliquis aptus est. Hæc dum eloquor, Auditores Honoratissimi omnes Europæ Academias exclamare audio,

Oxonium

Oxonium Academiarum agnoscimus Dominatricem, gloria Oxonienses manet erudita, dum inter Nos ceu Regina floret. Vox ista Auditores honoratissimi, mihi præripit, quæ animus proferre meditabatur. Intumescat Græcia Atticis suis, Britannia gaudet Oxonio. Et licet Plautus ad extollendam hanc Academiam, fateatur se hominem fuisse, Athenis Atticis minimi pretii, multi quoque hic fuere Eruditi, qui eadem de se dicere tenebantur. Glorientur Athenienses Templis, Deastris suis Dicatis, Oxonienses Templis suis vero unique Deo sacratis meliori superbiunt jure. Laudent Athenenses sepulchra, tot tantisque eruditis Inscriptionibus ornata; eorum quippe qui præclarè olim de Academiâ et Republikâ meriti fuerant. Nonne et hic pretiosis Tumulis Ossa eorum servantur, quorum laudes æternum amnebunt; quorum facta Marmori & æri sunt incisa. Et alia longè Oxoniensibus quam Græcis sunt Oracula, Oraculum quod Ethnica illa Oracula muta reddidit. Et nonne ora Eruditorum Oxoniensium ipsa etiam sunt Oracula, quæ omnium applasu audiuntur? Verum quidem est, Atticos & voluptate, & magnitudine, dignitate & potentia nulli cedere Academiæ. Interim tamen si quædam est, quæ cum Græcâ istâ Academiâ sit comparanda, proculdubio inclitum hujus loci Lyceum primo loco est ponendum. Inter Latinorum Phrontisteria nullum cum

C

Oxonienſi

EDITION

Oxonienſi de Antiquitate certamen posſe inire
persuasus ſum. Non ignoramus Auditores
Honoratissimi, ex vestrīs literarū Monu-
mentis, ſed et aliorū ante mille annorum
ſpatium hanc Academiam fuſſe instauratam ;
ſunt quidem, qui eam non adeo antiquam eſſe
ſtatuuerunt, at tales fuſſe facile credendum, qui
aut ex Invidiā, aut Ignorantiā hanc fovere Hy-
pothesin non erubuerē ; cum tamen Historici
ſatis celebres, infausto huic Bello finem imposu-
erint, obtinuerintque victoriam. Non pigebit
præteritum, eumque tristem admodum hujus
Academiae ſatum, cum ſtatu præſenti, eoque
florefcenti, paulum conferre. Intueamur, accu-
ratori oculo, Regis Alfredi tempora ; et quan-
ta tunc fuerit Barbaries ; quantaque Ignorantia.
Nemo in toto occidentalium Saxonum Regno
fuit, qui prima ſolum Rudimenta docere potue-
rit. Et ipſe Rex Alfredus adeo expers leterarum
fuit, ut ne quidem calluerit primas literas. Lau-
datur Archiepiscopus Cantuariensis Pleymondus,
qui strenue ſummoque cum ardore in
Erudiendo Rege laboravit. Rex ægrè ferens ig-
navam Populi ſui inſcritiam, nihil prius, nihil
habuit antiquius, quam ut Eruditi convo-
carentur, honoribus & præmiis cumularentur,
et ſubditorum animis ad ſtudia calcaria adderen-
tur. Muſarum ſedes nulla aptior eſt viſa, quam
vetus illud Oxonium ; quod Saxonum, & Da-
norum

norum igni subjiciebatur, & gladio. Et expri-
 mi satis nequit, quamdiu hujus urbis miseriæ
 duraverint et calamitates. Musæ pulsæ sunt in
 exilium ; Scholæ, et Collegia solo æquata Ver-
 bo, tanta hujus loci fuit jactura, ut merito
 inter urbes protinus deletas numerari potue-
 rit ; admonente tamen spectatæ pietatis Viro
 Neoto, Rex ille Anglorum qui decus, legum
 gemma & virtutum exemplar, a multis scripto-
 ribus appellatur Primo urbem & Literas ex
 Cinere revocavit & scholis publicis, artibus et
 scientiis, per Doctores celebres, sedulò prospe-
 xit ; ut tunc temporis, Galli, Germani, et
 Hungari certatim huc confluxerint. O suavis
 tristium temporum permutatio ! Post nubila
 Phœbus apparet ; Iris post Diluvium. Nam
 Felicitas nostri temporis omnem hanc calamita-
 tem longè superat. Par enim huic Academiæ
 nulla plane existit. A primo fundationis mo-
 mento semper produxit eruditissimos, Virosque
 subtilissimi ingenii, id quod multo magis mirandum,
 cum crassus sit Britannicus àer. Ro-
 bertum Baconum, Risardum, Fisacrium, et alios
 inter doctos doctissimos viros, qui nec Operæ
 pepercere nec oleo, viros, qui animos nullo non
 eruditionis genere exercebant, & quamvis Bar-
 baries fuerit dominata, et veteres Authores re-
 motis Bibliothecis pulvere fuerint obducti, nihi
 lominus tamen studiorum impetus et amor

C 2

ipsorum,

ipforum, quo erga literas flagrabant, ita eos
juvit, ut stupenda in re literaria præstiterint. No-
lo tamen in veterum enarratione persistere,
quorum nomina Æternitati jam sunt tradita,
nonne adhuc Academia Oxoniensis, immortalis-
tatis illa Officina, gaudet viris, qui majoribus
nec eruditione nec virtute cedunt, quorū me-
verto undique docti, graves, pii, modesti ap-
parent Viri, qui Apum ad instar Veterum Au-
thorum campos pervolant, floribus insident, &
succos miros deferunt, ut tot millibus favos
et dulcia mella dare possint. Sapientiam do-
mum sibi parasse dicitur, ut artes liberales pro-
basi, leges et Medicinam pro parietibus, et The-
ologiam pro tecto posuerit, observatis Archi-
tectonicis regulis, quæ fundamentum primo
ad construendam domum desiderant, mihi ta-
men placet inverso procedere ordine: Incipiam
ergo à tecto, seu sacrosancta Theologia. Cum
Deum benè nosse sit sapientiæ initium, fulcrum,
& Atlas, qui totum mundum, innumerasque
animas fert, conservat, protegit. Vos estis
Viri admodum Reverendi, qui sublimiori ista
sapientia instructi, vos estis specula, in quibus
quilibet Theologico studio incumbens se intue-
ri debet: Vos estis, qui in Ecclesia militanti tam
strenue militant: Vos estis, qui tam fideliter
docetis, tenebras Superstitionum destruitis, vi-
tam que degitis, quæ scientiæ vestræ respondet

et

et præceptis. Quantis hæresibus pullularet Britannia, nisi tam docti religionis defensores illas tulissent ē medio, & quanti undique serperent errores, nisi solertia vestra & Doctrina viri Incomparabiles eos sufflaminaret: Vos eruditi estis supra vulgarem Doctorum modum, ingenia vestra sunt miracula: Vos estis Lumina in tenebrarum obambulantium semitis, fontes Ecclesiæ, ex quibus non nisi meliora promanant, tubæ estis veritatis, quæ Dux est & Comes ad salutaria subinde ducens, superbiunt cathedræ vestræ tam sanctos ferentes viros, gaudent auditoria, quæ tam erudita, tam pia, & tam ædificantia resonare possunt verba; Vasta sunt Bibliopolia libris vestris, tanquam geimis inæstimabilibus repleta. De sancto Theologiæ quodam Doctore, qui Archiepiscopus erat Eboraci, hæc dicta sunt: Homo si quisquam mortalium a malitia & vindicta innocens, summè liberalis in omnes, contentor mundi, optimus, facilis, & in sola vita superbus, scilicet non minus factis quam sermonibus, sincerum verbi præconem egit, et fuit in Evangelio prædicando tam in aula & Academia quam Ecclesia ut valde semper nervosus, ita ad extremum usque halitum mirabiliter assiduus, veram & unicam Christi religionem modis omnibus propagavit, falsam et adulterinam totis viribus oppugnavit, bonas literas pro facultatibus auxit, ignavos ferre.

ferre non potuit, et Ecclesiæ patrimonium velut rem Deo sacratam intactum defendit. Hæc quoque tribuenda vobis veniunt, cum nemo hominum in vita vestra aliquid animadversione dignum reperire queat, cum et laus quoque genuina vobis & propria sit, quod maturiori longè judicio procedatis in expendendis sacro sanctis literarum divinarum monumentis, anne gratam ergo Te satis præbes magna Britannia erga Deum, qui tot Ambrosiis & Augustinis copiosè & affluenter donare Te dignatus est. Lubens ipse fateor me ex vestris lectionibus publicis et concionibus majorem fructum hausisse et utilitatem. Sed alii se hic aperiunt campi, alia Gagozophylacia, quæ legum thesaurum, rara medicorum experimenta & disciplinas Philosophicas continent, et vos estis eruditi Viri, qui longo intervallo post se relinquunt eos, qui humanas tractant artes. Vos Juris Doctores, qui honestè vivitis, neminem læditis, cuique suum tribuitis, dies noctesque Legum Scrutatores estis indefessi, & studiosis talia proponitis, ut successu temporis præsidio esse possint Rei publicæ, salutem periclitantibus exhibeant, metum malis ostentent, perpetuaque pro Republica muniti sint authoritate & potentia, splendor vestræ eruditionis tantus est, ut stellarum ad instar primæ magnitudinis inter cæteros eruditos fulgeatis, in omni enim literarum gener

genere citra supercilium docti estis, Euclides in vobis reviviscit et Archimedes, cum vestra nomina appello apicem quendam nomino humanae subtilitatis totiusque Mathematicæ disciplinæ absolutionem: Sed dum vos, Elegantiarum Patres, fontes totius Eruditionis, Patriæ jubar coruscum adpello, nil nisi manipulum è plena messe colligo, nam vos qui toto pectore scientias excepistis, radiis quoque virtutum speciosis, universum illustratis Orbem, ut quæ publicæ luci voce mea vindicare cupio, in omnium jam hæreant labris; Famatamén vestræ & eruditionis et in docendo subtilitatis tanta non foret, nisi acuta studiosorum ingenia sedulitati vestri judicii traderentur. Frustra enim hortulanus in sterili agro operam ponit, at vos agrum habetis adeo fœcundum, ut ne granum quidem pereat, sed fructum proferat in numero majorem numero, et Te Generosa, Nobilissima atque Ornatisima studiosorum cohors, Academiæ hujus et Patriæ Ornamentum, mirari teneor, vos inquam, Juvenes, quibus seniles placent mores, & qui in hoc bonarum literarum emporio nunquam interrupta concordiæ & quietis serie in Ecclesiæ & justitiæ columnas excrescit, vites estis fructificantes, quarum flores sunt flores pietatis, Eruditionis & Honestatis, qui obscuris natalibus prodiisti, nobilitatem acquiritis per Musæa bonarum liberalium que artium studia, & nobiles Nativitatem.

Nativitatem natalium splendori & avitæ virtutis gloriæ indies novam accenditis lucem ; gemmis India gloriatur, auroque Arabia, at Oxonium, imo tota Britannia doctorum multitudine studiosorum tanquam thesauro Profundissimo. Quæramus tandem et investigemus ad intrandum Apollinis castra vias, quæ sunt Bibliothecæ illæ nobilissimæ ; hæ Claves sunt quibus intimiores literarum Portas aperimus, hæ sunt Gazophylacia in quibus Imperatores, Reges, Cives, Urbes, Regiones, imo totus servatur mundus, in his recondita sunt secretiora Principum et privatorum facta, virtutes eorum pariter atque vitia, in illas Patrimonia satis lauta impenditis, et Codices toti sunt componendi de Academiæ hujus benefactoribus, quorum nomina tot Magnates in aliis Regionibus dant rubori, qui potius ad luxum exercendum aliquid impendunt, quam ut innocentes literas per stipendia, Privilegia aliaque promoveant beneficia, et hæc est genuina ratio, cur aliæ Europæ Academiæ literis mendicantibus, aut non perennent, aut raro floreant, tedium certe enim eruditus vitæ suæ habet, ubi nullum fructum, nullum honorem post laboris exhausti sudorem consequitur ; imo et ipse ordo, quem pro anima habetis omnium vestrarum actionum Bibliothecarum quoque admiratione dignus est, et Manuscriptorum vestrorum Thesaurus

saurus, quem tanta collegiis assiduitate, solus
 exteros attrahere debet, ubi autem Collegio-
 rum ædificia tanto apparent splendore marmo-
 rea dici possunt Oxoniensia, quæ alibi lateritia
 videntur. Sed præstat finem imponere orati-
 oni, quam in depingendis Athenis Oxoniensi-
 bus ea proponere, de quibus aureis plane verbis
 differi deberet. Spartam tamen meam crnare
 non melius potero, quam fatendo ingenuè vires
 ad eam feliciter obeundam plane de-esse, ratio
 tamen jussorit, ut publico quodam testimonio
 gratum erga benevolentiam vestram declararem
 animum, cum et hæc prorsus fuerit singularis,
 magna cum reverentia eam quoque admirari
 jam dudum decrevi. Omnia dona Auditores
 Honoratissimi, proveniunt à Deo, omnes the-
 sauri, divitiæ omnes, è Coeli sumuntur Gazo-
 phylacio, hunc precibus adire necesse est; novum
 inchoavimus seculum, & vos viri doctissimi
 novos inchoatis labores, qui tanti certè sunt,
 ut si ab Oratore quodam exprimendi essent,
 Augiæ stabulum & Labyrinthi, & prisca mira-
 cula renascerentur. Novas igitur vobis ad eos
 persequendos appreco vires, faxit benignum in
 Coelis Numen, ut ad majorem ætatem perveni-
 atis, quo ut hactenus, sic & iimpostorum serios
 pietatis Cultores honesti servatores regidos,
 duros studiorum exactores, vos præbere va-
 leatis, Deus vobis literarum thesauros concre-
 didit

D

didit

didit, quorum optimi estis dispensatores, horum corda, Optime Deus, semper dirigas, & studiosæ strenuorum Juvenum coronæ thesauri non deerunt, ingeniis vestris Generosissimi ac Nobilissimi Juvenes novo seculo nova appre-
 cor acumina, ut Præceptores vestros eo feliciori progressu audire, audita maturius intel-
 ligere, intellecta in succum et sanguinem con-
 vertere possitis ; spem in vobis Respublica ponit,
 cavete ne fallatis tam nobilem et salutarem ex-
 pectationem, & cum saepius Juvenes in vanas
 irruant persuasiones, in copiam quandam vani-
 tatis & inhumanum scientiarum fastum Deum
 precor, ut strenue hæc omnia fugiatis soli-
 daque pro somniis vobis inspiret, sic vos so-
 latium eritis Reipublicæ, Honor et gloria Pa-
 rentum, Gaudium Præceptorum, floreat sem-
 per Academia artibus & viris tam egregie eru-
 ditis. Det Deus, ut nunquam aut invidia
 Oxonium labefactetur, aut ulla calamitate
 opprimatur, augeat Illustrem Mæcenatum &
 benefactorum numerum, eosque conservet, Ful-
 cimenta enim sunt Academiæ quibus singula
 innituntur. Protecto igitur per manum Do-
 mini Academiæ Gazophylacio, totum semper
 Britannicum abundabit Gazophylacium, seu
 ipsa magna Britannia, quam tam felix & be-
 nedicta gens inhabitat, felix & benedicta, quia
 Rege Optimo et benedicto gubernatur. Hunc
 Deus

tibib

D

Deus Britanniæ Gazophylacio præposuit The-
 saurarium, subcujus sceptro semper florebunt
 Britannorum thesauri, GUILIELMUS enim, si-
 dus illud nitidum Britannis admodum salutare
 est, nam virtutibus Orbem illustrat & ceu
 Optimus Princeps & Patriæ Pater moribus
 suis secula emendat; Tempus jam poscit ut &
 pro Tua salute vota solvam GUILIELME Po-
 tentissime Magnæ Britanniæ Monarcha, Gloria
 nostri et futuri ævi, quænam autem vota novo
 ineunte seculo tibi nuncupabo Regi, in quo
 omnes thesauri sunt reconditi: Subditus qui-
 dam olim Principi suo nil nisi manum amara
 aqua repletam obtulit, sed corde infucato, ea-
 dem quæ offero vilia quidem supt, vota tamen
 ex intimo cordis abyssō profecta, quapropter
 Maximorum Optime & Optimorum Maxime,
 GUILIELME, clementer munuscula accipere
 non dignaberis: E Cœlo descendas Summe
 totius Universi Monarcha et GUILIELMO Re-
 gi, per quem Reges tremuère, æternum sis à la-
 tere, dedisti hunc thesaurum Britannicæ Genti,
 ut inimicorum exhauriaret thesauros, tutum il-
 lum reddas contra omnes injuriarum Procellas,
 da Magno GUILIELMO perpetuum vigorem
 & vigor nunquam deerit Populo Britannico,
 da ipsi larga manu bona, quæ Regibus pro-
 misisti in viis tuis ambulantibus, imo dabis ipsi
 bona, quibus præter GUILIELMUM in hoc
 terrarum

terrarum Orbe nemo est dignus, sic Academia
hæc fœcunda Mater omnis eruditio[n]is, nova
capiet incrementa, & occulto velut arbor ævo
seculis innumerabilibus crescit.

F I N I S.

Hist. Britan̄.